



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Leonem Imperatorem, ob indulgétiam in filio punitum esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

est) satisfactio pro peccato. Quemadmodum autem illa violenta mortis poena expiatio fuit peccati, ita cetera quoque poena, quae post peccatum a poenitentibus exiguntur, non sunt satisfactioes tantum coram hominibus, sed etiam coram Deo; neque solum in remedium contra futura, sed etiam in vindictam & compensationem praeteritorum exiguntur.

Post Christi tempora etiam Iosiam habuimus, vel in filio suo, ferro punitum. Nam, teste Baronio, Leo Imperator inter optimos plane fuisse Principes annumerandus, nisi suorum foribus propinquorum fuisset aspersus, eosque in aulam introduxisset. Etsi enim omni prorsus caruisset haeretica prauitatis contagio, quia tamen ipsos non cauit haeticos, quibuscum indulgentius egit, dum Basilisco Verinae coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc sibi hominem haud probe de Catholica religione sentientem sibi generum & Imperij administratorem cooprauit, idcirco non solum a posteris minus laudatus est; verum etiam quia nequissimis hominibus viam strauit ad Imperium capessendum, nempe Zenoni, & Basilisco haeretico, qui post multa scelera tandem in tyrannum erupit; ideo is ipse Zeno, quem tamquam malum ouum fouit, filium eiusdem Leonis sustulit, creatusque Augustus Leoni successit; qui utique filium suum successorem & optauisset, & habuisset, in quo interempto, quis dubitet, iugulum ipsius fuisse petitum? Si enim in filio viuit pater, cur non etiam in filio occidatur?

De Wenceslao duodecimo Bohemiae rege scribit Aeneas Syluius, eum falsa politici statum ratione delusum, haeticis potestatem agendi, quae vellent, concessisse. Sed in mercedis locum, regnum illius tantis dissidijs perturbatum est, vt fuerit necessario ad arma recurrendum; sic enim se regnumque tueri conatus est. Verum ab omnibus desertus, vitam simul atque regnum amisit. Ita, quod sibi praesidium ratus est futurum, exitium fuit. Dignus est enim, quisquis DEVM, Dei que cultum deserit, vt & ipse a DEO deferatur. Quod ipsum Carolus Sigonius alio exemplo confirmat, apud quem *Agilulphus sine Gisulphus Longobardorum Dux, quod causa conseruanda pacis, in sua ditione, Catholicos & Arianos, quemque suis legibus ac ritibus viuere per-*

VI.

Baron. Tom. 6. An. 474. n. 2.

VII.

Aen. Sylu. l. 35. seqq. hist. Bohem.

Carol. Sigon. lib. 7. de regn. Italiz. Genebrard. in Chron. An. 607.